



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

I. Ne clerici ioculatores vel histriones a laicis transmissos recipient.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

HONORIVS  
P. IV. C. RAVENNATE I. RYDOLPHVS I.  
IMP. 631

ANNO  
CHRISTI  
1286.

## CONCILIVM RAVENNATE I.

CAVSA REFORMANDÆ ECCLESIASTICÆ  
disciplinæ celebratum anno Domini MCCLXXXVI.  
tempore Honorii papæ IV.

### TITVL CAPITVLORVM.

- I. Ne clericis ioculatores vel histrio-  
nes a laicis transmissos recipient. rochiales ecclesiæ.
- II. De pauperibus alendis & ve-  
stimentis. v. De quotidianis distributionibus.
- III. De honestate & habitu cleri-  
corum. vi. De testamento usuriariorum.
- IV. De promotione habentium pa-  
tronum. vii. De decimis.
- VIII. De criminibus & delictis  
specialiter episcopis reservandis.
- IX. De immunitate ecclesiistarum.

INFRA SCRIPTÆ SVNT CONSTITVTIONES,  
statuta, & ordinamenta edita & facta per prouinciale Con-  
cilium saecula Rauennatis ecclesiæ, videlicet per venerabilem  
patrem dominum Bonifacium, diuina gratia sanctæ Rauen-  
natis ecclesiæ archiepiscopum, & suffraganeos eius sufficienter  
requisitos, & consentientes per se aut per idoneos procuratores.

### C A P I T V L A.

#### R VBRICA I.

**N**ON sine temeritate consuetudines indu-  
cuntur quæ lege damnantur. Cum igitur  
laicorum importunitate, qui clericis plurimum  
sunt infesti, consuetudo, quæ potius est dicenda  
corruptela vel abusus, videatur induci, non sine  
animatorum clericorum prouinciæ nostræ periculo;  
vt cum laici decorantur cingulo militari, seu nuptias  
contrahunt, ioculatores & histriones transmittunt  
ad clericos, vt eis prouideant, prout & idem laici  
faciunt inter se, ex quo contingit vt cum clerici  
de ecclesiistarum communiter facultatibus susten-  
tur, suo patrimonio proprio consanguineis reser-

uato, ipsas facultates ecclesiarum pia fidelium de-  
uotione collatas ecclesiis, ex quibus debent paupe-  
res sustentari, distribuant, seu potius effundant in  
huiusmodi vſus illicitos, propter quæ multum de-  
nigratur clericorum honestas. Talem autem &  
tantum volentes remouere abusum, statuimus, vt  
nullus clericorum nostræ prouinciæ, quocumque  
fungatur honore vel statu, a talibus ioculatoris  
vel histriones transmissos recipiat, seu prouideat  
aliquid propter viatum, etiam transeundo. Si quis  
autem contra fecerit, duplum eius quod dederit  
ioculatori vel histrioni restituere ecclesiæ a qua  
habet beneficium teneatur, per ipsum in vſus pau-  
perum conuertendum.

## RVBRICA II.

Doctoris illius præcipui prædictoris egregii in-  
stitutione freti, ad pietatis exercitium nostræ pro-  
uinciæ clericos cum remuneratione thesauri do-  
minici inuitamus, & præsertim prælatos, qui quan-  
to plura a mundi Auctore accepisse cernuntur, tan-  
to ad plurima tenentur obnoxii: quia cum dona  
augentur, rationes etiam crescunt donorum. Hoc  
non attendentes quamplures ecclesiarum prælati,  
quotidie epulantur splendide, & cibis delicatis su-  
perflue vtuntur ad velle, ac quadruplicata sibi in-  
dumenta conseruant: & ostiis clausis a foris, ex  
Christi pauperibus alii cupientes saturari de mi-  
cis quæ cadunt de mensa ipsorum clamant ad o-  
stium, & nemo aperit; alii verecunde in eorum  
domibus se includunt, vel quia carnem suam vili  
etiam